









6634

18  
1652  
7  
8

# NOVENÆ,

ad materiam testamentariam

spectantes,

POSITIONES;

QUAS,

ADMINICULANTE DIVINO NUMINE,

ET

SUFFRAGANTE MAGNIFICO JCTORUM ORDINE,

PRÆSIDE

JOACHIMO *Bergern*

GRYPHIMONTE - SIL. J. U. L. Judicii Provin-

cialis, quod hic est, & Facultatis Juridicæ PROTO-

NOTARIO,

*ad diem 13. Novembr.*

In Acroaterio Jctorum,

Horis pomeridianis,

*publicè proponit*

JOHANNES GEORGILIS PASCHA,

Dresdâ-Misnicus.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M DC LII.



VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis atq;  
Summis*

DN: ERASMO Seydell/ JCTO Eminentis-  
simo, Serenissimo, Potentissimoque PRINCIPI ELECTORI  
BRANDENBURGICO à Consiliis Intimis, de universo Electro-  
ratu illustrissimè Merito &c:

DN: MARTINO FRIEDERICO Seydell/  
JCTO Præclarissimo, EIDEMELECTORI Serenissimo à Consi-  
liis, itemque in Consistorio Berlinonensi Ecclesiastico Adfessori  
Splendidissimo, &c:

DN: REICHARDO DIETER, JCTO Præcel-  
lentissimo, Ejusdemque Celsitudinis Electoralis Consiliario &  
Thesaurario Gravissimo &c:

Dominis, Agnatis, Patronis atq; Promo-  
toribus suis Optimis, Maximis,

Chartas hæc Academicas,  
animo,

*Observantiam, studia atq; servitia sua obsequiosè testan-  
di, gratitudinem, quam debet summam, quadan-  
tenus exolvendi, ulterioremque Benevolentiam,  
quàm humilimè demerendi, ex dicatissima pietatis  
lege*

D. D. D.

Johannes Georgius Pascha





L. D. B. V.

**T**estamentorum quidem insignis favor, adeò, ut adversus ea quid moliturum poenâ cöercere liceat heredem, quem tamen, vitium apertum præ se non ferentibus tabulis, rerum hereditariorum possessione induimus: fitq; sæpiùs, ut debitam heredi, quam vivus necdum consecutus erat, portionem asservemus ipsius posteritati: Noviorq; Prudentia exerts verbismalefici testamento adjecit calculum. Favor tamen ille tantus non est, ut disposituro extra legum cancellos sit evagandum, cum nemo possit in suo testamento cavere, ne in eodem locum habeant leges, quæ vel totam innodant Remp: vel hujus certa loca; hinc numerum testium perfectum & pestilitatis tempore Justiniana Themis desiderat; nec de rebus, acquisitionem omnimodo effugientibus, filio in sacris hesitanti patris, hujus licet prævio jussu, indulget testamenti factionem. Neque à Municipiorum legibus (quæ interdum ea, quæ jure communi quorundam respectu desiderari poterant, declarant, exprimuntque) dispositiones hominum ultimæ immunes sunt. Quamvis verò examusim sequi leges conveniat, æquum tamen non rarò duro præferendum: Hinc novior jam laudata Nomothetica potestas in causâ illâ, ubi Parens filio impuberi surrogavit extraneum heredem, noluit

A 2

quo-



quoad legitimam, exclusam Matrem; nec Feudorum in Cō-  
suetudines Feudatarium à testandi facultate prorsus re-  
movent. Hanc verò testamentariam opellam, quam  
exponere commercio linguarum licuit, aggredior in  
nomine *Jesu Christi*, sit verò.

Positio I.

*Integrum est testatori, heredem (vel alium) impugnantem,  
ultimum elogium relictà portione privare.*

Liberum est testanti, impugnaturis Judicium ipsius relictam  
partem adimere; cum & ipsius arbitrium sit, quamcunq; hone-  
stam conditionem testamento adjicere, *arg. S. f. J. de legat. de*  
*flectitq; ab humanitate, ut, ubi contradictorio judicio adversus*  
*testatorem atque hujus heredes, qui defendebant ultimam vo-*  
*luntatem, insurrexerint, impugnantes, hi post, stilo testantis*  
*relictum, nihilominus sibi appropriare possent; Coercenda*  
*merito fuit hæc temeritas. Testanti ita suffragantur leges, dum*  
*legem esse voluerunt, voluntatem disponentis. N. 22. c. 2. in pr.*  
*permittuntq;, ut faciat totum voluntas defuncti l. 35. §. 3. D. de*  
*hered. instit. i. e. explicante Godofred: ad hanc l. regat ipsum*  
*testamentum voluntas testatoris; & merito, cum nihil sit, quod*  
*magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis (post-*  
*quam jam aliud velle non possunt) liber sit stilus, & licitum,*  
*quod iterum non redit, arbitrium l. 1. C. de SS. Eccles. Ne ta-*  
*men illi, qui semel heredes fuere, per hoc ii desinant esse, con-*  
*tra L. 55. D. de legat. i. valet hæc privationis poena eò, ut, uti*  
*loquitur Bartolus ad l. 44. D. de her. instit. n. 6. lit. e. impugnā-*  
*tes teneantur hereditatem (vel partem) restituere per fideicō-*  
*missam arg. l. 41. §. f. D. de legat. 3. vel coheredibus, vel substi-*  
*tutis, si dati sint, etiamsi testator non dixerit, cui restituendum*  
*id. Formula hujus privationis ferè ea apponi solita est: Und*  
*da einer oder mehr meiner gesetzten Erben oder legatariorum &c:*  
*meinem letzten willen sich wieder setzen/ Disputirlich machen/ oder*  
*sonst zu wieder Handeln/ und ich was vornehmen solte/ der. oder*  
*dies*



Dieselben dadurch meiner Erb- und Verlassenschaft und ihren ver-  
legirten Theilen sich aller dings verlustig gemacht haben sollen  
*Vid: Bartol: cit: loco: Clarum §. testamentum: quest: 69. Gail. Lib: 2.*  
*obf: 145. n. 9. Dn: Carpz. p. 3. C: 7. def. 23.* Qui tamen *def: 24.*  
subjungit, quod hoc vim non habeat in solennibus testamenti,  
quæ citra amissionē relictī disceptari possunt *per l. pen. D. de his*  
*quæ ut indign: aufer.* Sed obstat, quod ut plurimum testamentis  
apponatur clausula codicillaris: (do dieser mein letzter Wille/ aus  
mangel einiger Solennität nicht solte/ als ein Zierlich Testament/  
beständig sein/ so wil ich doch/ daß derselbe Krafft und Macht habe  
eines codicills oder sonst eines ander beständigen letzten willens) quæ  
facit, ut si institutio directo jure non valeat, sustineatur tamen  
in vim codicilli &c: *Dn: Carpz. 3. 8. 19. 3.* suppleatq; solennita-  
tes, *Idem 3. 1. 42. 7. Clarus d. l. q. 46. in pr.* Ex puncto igitur so-  
lennitatum labefacturis testamentum, omnem conatum in-  
fringit hæc salutaris clausula; quæ etiam omissa, subintelli-  
genda in testamentis videtur. Sed enim, omissa illa clausula lo-  
cum dabit disputaturis contra solennitates, ut ex *Dn. Carpz.* di-  
ctum; & omissa, nisi in quibusdam privilegiatis ultimis volun-  
tatibus, subaudienda non est; *Dn. Carpz. 3. 4. 38. 8.* nec; etiam  
omnes solennitates ea supplet; ex: gr, numerum testium. *Idem*  
*ibid. def. 39. n. 5 & 6.* Succedaneum hinc dubium aliud, quod  
hæc clausulâ non opus sit in testamento judiciali: etenim cum  
hoc robur habeat; si testator id tantum insinuavit, (nec enim  
requirimus iudicii solennis ordinationem *Dn. Carpz. 3. 3. 13.* neq;  
ut Iudici prælegatur; *Idem 3. 3. 28.*) cuiusque Iudici, modò ha-  
benti Jurisdictionem *l. 19. in pr. C. de testam: Const: Elect 3. p. 3.*  
*ibiq; Moller: n. 2. Dn. Carpz. d. l. 3. 3. 28.* simulque edixit, in eo  
contineri suam voluntatem. *l. 28. C. d. r. exq; actis aut deposi-*  
*tione testimonii Iudicis & Scabinorum apparet, præsentem in*  
*iudicio ipsum fuisse, Id: 3. 3. def: 25.* aut per supplicationem Ju-  
dicis assessorumq; auribus intimavit ipse *l. 19. vers. cum hoc ipsum*  
*C. d. r. eorumq; singulorum, vel eorum, qui delegati sunt, sigil-*  
*lo confirmatum est, Joachimus à Beust. ad l. 31. admonendi enim;*  
*n. 489. D. de jurei. Dn. Carpz. 3. 27. 6.* & in loco Iudicii reserva-  
tum est usque ad publicationem *l. 18. C. de testamentis,* tunc hæc

A. 3.

Jud i.



Judicis, Assessorumque autoritas supplet omnia solennia testamenti, etiam extra Judicium conditi *d. loc. def: 20.* etiam defectum testium *d. l. def: 12 in pr.* cum Scripturæ factæ coram iudice (aut huic insinuatæ *d. Const. 3. p. 3.*) per modum voluntariæ Jurisdictionis dicantur acta, plenamque mereantur fidem; *Paulus de Castro ad l. 17. C. de SS. Eccles. n. 2.* Quid igitur opus erit clausulâ hâc? Hoc unicum respondere habeo, quod superflua non noceant, cumq; metuat testator, Ingenio hominum subtili excogitari posse novas molitiones, quibus subrueretur ultima Voluntas, hanc clausulam addere voluit, ut omnimodè stare posset elogium.

II.

*Hereditas instituta in testamento, quod vitio visibili non laborat, in possessionem immittendus est.*

In numero remediorum adipiscendæ possessionis, est quoq; illud *ex l. f. C. de edicto D. Adriani toll.* Quam legem *Bartolus* hîc vocat singularem, & quæ non est alibi. Consequitur verò ex hac legè quis rerum singularum & corporum possessionem, quæ facti est, non jus universale, quale per bonorum possessionem ex edicto Prætoris tribuitur; *Bachov. ad Treutl: V. 2. Diss. 25. th: 1. lit: i.* Differentias inter hoc possessorium, & quorum bonorum, vide *apud Paulum de Castro ad hanc l. n. 14.* Competit verò hoc beneficium sine titubatione tum, si heres in testamento institutus est, hoc enim in se apertam habet probationem, cum aliàs legitimus heres & cognationem & jus succedendi prius probare necesse habeat. Hujus scripti Testamenti adsit originale, vel Exemplum, autoritate Judicis factum & publico sigillo corroboratum, *Mascard: de probat: Vol: 2. Concl: 711. num 17. Dn. Richter Diss. 6. de testam. Requis: 2. p. 167.* vel etiã nuncupativum, si ritè à Notario in scripturam redactum sit, *Bartolus hîc n. 17. & Bachov. d. l. sub init: (vel codicilli, cum & hi perfectam testatoris voluntatem complectantur Dn. Carpz. 3. 5. 18. 3. Dn. Richter diss. 6. Requis. 3. p. 170. Bartol: d. l. n: 18)* nec habeat aliquod



*visibile*

quod signū vitium (invisibilia n. obstaculo non sunt, de quibus Dn. Richter d. l. D: 7. requis: 4. p. 180) quale, e. gr. est cancellatio in loco substantiali; deq; ejusmodi bonis quis testatus sit, quæ objectū testamenti habile esse possunt. Dn. Carpz. 2. 12. 33 Dn. Richter Diss: 7. Requis: 4. p. 175 nec ullus existat contradictor, sitq; vacua possessio Richter Diss: 7. requis: 6. in princ: pag. 189. sitque ab herede testatoris mors probata Idem Requis: 7. pag: 191. essetque olim intra legitimum tempus petita immissio, (aliter enim bodie: Jd: Diss: 7. requis: 9. in pr. pag. 197) Tunc heres mittendus est in possessionem earum rerum, quæ testatoris mortis tempore fuerunt, rationes habet Richter d. l. p. 145. & 187. Cui missio ni non obstant exceptiones, quæ altiore indaginem requirunt, cum Lex nostra non admittat disputationem juris & facti controversi, siquidem etiam in possessorio dubii juris & facti exceptio non admittitur, Dn. Carpz. 3. 5. 18. 7. Dn. Richter d. l. pag. 181. Ergo is non admittitur, qui dicit testamentum factum dolosâ persuasionem & metu Dn. Richter. d. l. p. 182. nec si de capacitate heredis disceptetur Idem ibid. p. 182. n. 4. Si verò vitium in continenti probari possit; Idem d. l. p. 185. aut producat. Testamentum eadem die confectum p. 186. aut testamentum ipso jure nullum sit, tunc legitimi heredes immittendi & institutus ad ordinarium processum remittendus p. 174.

### III.

#### *Quarta Trebellianica nondum licet detracta ad heredes transmittitur.*

Transmissionis Objectum non tantum successionem ex causa testati & intestati l. 19. C. de j. deliber. Sed & alia bona à successione discriminata credimus esse cum Dn. Carpz. 3. 14. 25. à n. 1. Casu priori Sui (suiatatem sat eleganter declarat Vacun: à Vacunâ: l. 3. decl. 50.) (hujus verò suiatis emancipati capaces non sunt, sed tantum juris sanguinis & deliberandi: Dn. Fiebig: Diss: ad Ex. Frantz. 6. Semid: 9. 4. n. 2) heredes ante absentionem & immissionem demortui etiam ad extraneos secundum quid ita dictos: sui & extranei intra annum deliberandi mortuū



stui etiam ad extraneos simpliciter dictos *l. 19. C. de jure delibe:*  
heredes verò ab ascendentibus instituti ad solos descendentes *l.*  
*un. C. de his qui ante ap. tabb.* transmittunt successionem. Po-  
sterioris casus exempla apud Dd. invenire est, quod lucra hu-  
jusmodi sine agnitione etiam sint transmissibilia; e.gr. legitima  
liberorum *Gail: 2. 120. n. 17. & 2. 131. n. 12.* donatumque mortis  
causà *Dn: Carpz. 3. 14 28. Fiebig. Disp: 6. Sem: quest. 5.* Jure Sax.  
quanquam adminiculo inventarii vel juratæ specificationis  
(hoc enim jure deliberatio nullius usus: Sicut & ea jure commu-  
ni supervacua, nisi meticolosus eâ uti velit §. 5. *J. de Hered. qua-*  
*lit. & differ. l. f. §. 13. C. de jur. delib:.) v. Cöst: 33. p. 3. ibiq; Dn. Carpz-*  
*de f. 6. & def: 18. à contrario & p. 3. constit: 14. def: 29. n. 3.* ultra  
vires hereditarias nemo tenetur, scire tamen expedit materiam  
transmissionis, cum per testatoris dispositionem, quod tale non  
est, transmissibile fieri possit: fortèq; elogio ultimo adjecta co-  
dicillaris clausula, cujus virtute nec agnita hereditas transmit-  
titur; quod & *Colerus* adversans aliàs hîc concedit *Decif: 68. n. 14.*  
*in f.* Quo Sax. Jure res geradicæ, expeditoriæ, mobilesq; (quas  
mobiles defunctâ uxore lucratur maritus) transmissibiles sine  
omni agnitione sunt: *Dn: Carpz. 3. 14. 25. 5. & def 26. & 27.* Qui-  
bus præmissis, quæstionis arcem jam ingressuri sumus. Mate-  
riæ hujus sedes est in *l. 10. C. ad L. Falcid;* ubi Cajus fidei cõmisso  
oneratus sine liberis intestatus decedens ante fidei commissa-  
rium heredem, fratrem Diogenium, jus Trebellianicæ nec dum  
detractæ, sed quam retinere & habere potuit, ad heredes suos  
legitimos, sororem æquè ac fratrem transmittit, cum hoc enim  
illa admittitur ad emolumentum, quod Cajus retinere potuit  
(retinet verò gravatus Trebellianicam) neq; juvit coheredem  
institutum, quod ipsi à prius defuncto portio hereditatis erat  
restituenda; siquidem ipse rogatus restituere, beneficio Trebel-  
lianicæ adjutus habebat quartam hanc, ut partem bonorum, ad  
cujus participium nec Diogenius ut heres ex testamento, sed ab  
intestato admittebatur, cum *d. l. 10.* opponat casum hereditatis  
testamentariæ, casui beneficii legis, dicatque beneficium legis ef-  
se hanc Trebellianicam, cujus & soror, aliàs fortè dote vel aliâ  
parte iusta contenta esse, Arguit vero dictæ *l. contextus,*  
agi

x cafare 296



agi de Trebellianicâ (quam ex Contio Heigius. par. 1. q. 32. n. 1. propriè Falcidiam appellatam refert, cujus poterat hîc esse exemplum) quæ quarta vocatur §. 9. *J. de Fideico: hered.* Hodiè verò juxta *N. 39. cap. 1.* unâ deductione trientem vel semissem secundum filiorum numerum deducimus: Quâ unius quartæ deductione filius institutus & gravatus (etiam in diem vel sub conditione secundum quosdam: *vid. Castrens. ad l. 6. Cod. ad Sc. Trebell. n. 2.* aliter tamen *Dn. Carpz. p. 3. c. 1. def. 21.*) jure civili contentus esse debet, tùm *ob hanc l. 10.* ubi de quartâ Trebellianicâ, non legitimâ simul transmittendâ, agitur; tùm *per l. 6. C. ad Sc. Treb:* inq; Trebellianicam legitima imputatur *arg. l. 91. D. ad L. Falcid: & l. 30. in pr. & §. 2. C. de inoffic: testamento;* alteramque una consumere videtur; *Bartol: ad d. l. 10. ad eandem Castrensis n. 3. Bachov. ad Tr. V. 2. Diss. 16. th. 2. lit. a. Bronchorst: C. 3. ass: 67. Dn: Carpz. p. 3. c. 1. def. 20.* Jure v. Canonico duas quartas deducere permissum est *c. Rainutius 16. & cap. Rainaldus 18. X. detestam: quod tamen non videtur verum de Jure civili Bartolo, in l. 8. §. 14. D. de inoff. test.)* quæ sententia & in Judiciis & Scholis recepta & pro Evangelio tenetur, *Castrensis in d. l. 6. C. ad Sc. Trebell: n. 2.* cui ex Interpretum ejus ætatis præjudiciis & conceptis opinionibus, seu ut *Riemer. dec. 7. q. 8.* dicit, ex falso juris & LL. intellectu profectæ, in utroq; foro secundum quosdam standum est; obtinereq; eam, sive pauci, sive multi sint liberi, sive etiam ascendentes sint, itaque in Scabinatu Witebergensi pronunciatum, dicit *Heigius d. l. n. 8. 9. 16. 19. 20.* quamque non contemnendis ex jure Justin: argumentis tuetur ipse *à n. 10. & Fachin. l. 5. c. 2. Vacon: à. Vacuna l. 4. decl. 59. n. 6.* addens tamen ante *l. quoniam 32. C. de inoff. test.* unam tantum potuisse deduci Quartam jure civili & Canonico; *& n. 7.* jure civili nos non legem, in quo hoc expressè sit cautum, sed tantum rationem legis habere: & in *f. declar.* hodiè Jus Canonicum nullo modo à jure civili, sed saltem in ratione discordare.

IV.

*Malefici testamentum & ante & post condemnationem conditum olim non valebat, hodiè aliter.*

*Extra dubitationem in jure D. & C. est, à malefactore conditum*

**B**

rum



tum testamentum, subsecutâ condemnatione, per appellatio-  
nem, & pendente hâc, per mortem appellantis, non exclusâ l. 13.  
§. 2. *D. de testam.*: atque jure sancitam pœnam mortis *Godof. ad*  
*§. f. Schneid. J. Quibus non est permîssum facere testamentum,*  
*lit. e. complectente,* fieri irritum §. 4. *J. Q. mod. test. infirm.*  
cùm tempore mortis (cùm ut voluntas effectum habere possit,  
hoc tempus respiciendum sit §. 4. *J. de her. qual. & disse*) Servi  
pœnæ sunt, ob cap. diminutionem, quæ adimit Jus Civitatis,  
in quo inest jus testandi *arg. l. f. C. de rebus alienis non alien: &*  
*& nulli sunt, proque mortuis habentur* (rationem hujus inve-  
stigtat *Vaconius à Vacuna l. 1. decl. 18 n. 5.*) Neque dubium, quin  
ad mortem jam damnatus jure Digest: testari non possit, cùm  
damnatus in metallum, in opus metalli, inque ministerium me-  
tallorum, (de quibus vide sis *Aldobrand. ad §. cum a. J. Q. m.*  
*jus patr. pot. solv. n. 69*) ad bestias, ad ferrum, servus efficitur. l. 12.  
*D. de pœnis,* bonaq; de quibus erat testandum, publicantur, l. 8.  
*§. f. D. Qui test. fac. poss.* amittuntque testamenti factionem d.  
l. 8. §. *fin.* quam quoad approbationem & informationem,  
*cum Riemero dec. 6. q. 1. & Fiebigio Disp. 6. ad Ex. Fr. q. 1. l. a. juri*  
*civili,* cujus expertes servi, adscribimus. Codicis v. jure idem  
valet l. 4. §. 10. *C. de bonis proscriptorum & damnat:* Sed enim  
eum jure *Auth. servitus pœnæ sit sublata, Auth: Sed hodiè C. de*  
*don. inter virum & uxorem, Novell. 22. c. 8.* Quidamq; nullam  
concedant hodiè confiscationem, præterquam in crimine Ma-  
jest: *Auth: Bon. damnatorum C. de bonis damnat. N. 17. c. 12. N.*  
*134. c. f. in f. V. Berlich: p. 3. concl. 8. n. 2.* neque bona propria præ-  
cisè requirantur ad testamenti factionem. *Dn. Ungepaur Ex 7.*  
*q. 5. in Aio;* dicendum videbatur, *Jure Auth. damnatum tam ad*  
*mortem naturalem, quam civilem testabilem esse: vid. Dn. Jo-*  
*achimum à Beust, ad l. admonendi, n. 494. vers. sed contrarium D.*  
*d. jurei. p. 360.* Et quamvis *Bartolus ad Auth: Sed hodiè C. don:*  
*inter virum & uxorem & ad N. 22. c. 8. & Aldobrand: ad §. cum*  
*a. J. Q. m. jus. patr. pot. solv. n. 67.* textus illos explicent de dam-  
natis tantùm ad mortem civilem, auscultandi tamen non sunt,  
cùm ratio in LL. sit universalis & *ter ipse Aldobrand d. l.* concedit  
generalitatem textuum: deinde & ipsis obstat d. l. 8. §. f. *D. testam.*  
quam



quam loquentem de ad utrumque fatum damnatis, correctam  
quoad omnia, donec contrarium probetur, putamus. Ita  
scilicet est, quod & Auth: jure damnatus ad mortem intestabi-  
lis sit, licet n. nec servitus pœnæ adhuc sit, nec condemnatio illa  
indistinctè trahat secum confiscationem (quæ non tantùm in-  
crimine Majestatis obtinet, sed & in crimine hæreseos L. 4. §. 1.  
C. de hæreticis; incestarum nuptiarum secundum quid; N. 12. c. 1.  
N. 139. c. 1. N. 154. c. 1. in med. Peinl. Halsger. Caroli V. art. 218.  
ibi außerhalb des Lasters der beleidigung unser Majestät/ oder sonst  
in andern fällen. V. Riemer: decad. 8. quest. 6 Heigium par. 2.  
quest. 33. n. 52.) tamen legis copulativè loquentis, cessante unâ,  
non statim cessant rationes omnes; Nec Auth. Bona damnatorum  
ex eo testabiles reddit reos, dum jus fisci tollit: Facit hoc L. 21. D.  
de testib. junctâ l. 18. §. f. D. de testam. & cum liberi aut descen-  
dentes usq; ad tertium gradum, heredes sint bonorum damnati,  
utiq; hoc jus ipsis, concedendo damnato testamenti factionem,  
auferendum non est Auth: Bona damnatorum C. bonis proscript:  
N. 134. c. f. Riemer. d. l. dec. 8. qu. 6. Adde Berlich. par. 3. concl. 8.  
Hodiè huic juri per consuetudinem derogatum est, de quâ vid:  
Constitutionem Electoralem 6. part: 3. ibique Dn. Carpz.  
def. 1. num. 8. & Coler. decis. 34. num. 6. & Statuta Dnn. Vra-  
tislaviensium tit. von Testamenten in f. ibi. So ist auch bey die-  
ser Stadt je und allewege üblich gehalten worden/ das den jenigen/  
so wegen ihrer Mißhandlung das Leben verwircket/ frey und offen  
gestanden/ ihren letzten Willen vor denen Persohnen/ die wir dar-  
zu verordnen/ zu machen/ dabey wir es nachmal verbleiben lassen:  
An verò exinde sequatur, jus Gentium ita nobis in testamentis  
redditum, quod Riemer dec ad. 6. quest. 1. ait, discursui reservan-  
dum.

V.

*Jure Justiniano in testamento pestili tempore condito septem  
adhibendi sunt testes.*

Novâ indigere Cæsareâ decisione vel saltem provisione  
(sic extat apud Clarum l. 3. Sent. §. Testam. quest. 55. n. 3. pag. 52)  
nequit hoc thema, cùm decisum sit in l. 8. C. de testam. ubi quæ-  
situm; Num testes in conspectu testatoris contagione laboran-  
tis testimoniorum officio fungi debeant? Rescribūt Impp: quod  
non,



non, quia hæc sollemnitas, ut coram testes adstent testanti, laxata de jure, ipsosque sociari ac jungi remissum, non verò numerus testium minutus est: Sique pauciores numero septem adferis, qui contagioso testanti adstent, datur casus, qui ob timorem contagionis non omnes deterret, quod ab hac lege absonans: Cæterum quod alii intelligunt casum, qui ipso tempore faciendi testamenti accidit & supervenit, cujusmodi casus *Pestis* in aliquo loco grassans, dici non posset, legi disconvenit, etenim agitur de conveniendo (quæ lectio Florentina probatur) testium numero, nec dum verò convento, cum deterriti testes, locum, ubi contagiosus testaturus reclinabat, intrare nolent; Quod cum ita sit, & lex non disponat de casu, qui ipso tempore faciendi testamenti emerfit, corrui sectarium dicentium, quod hujusmodi casus non sit in d. l. qui de peste agit; accedit, quod certè pestis sæpius inopinato opprimit. *Bartolus*, quem adversarii pro se citant, hoc tantum habet glossema: Quod propter necessitatem Juris dispositio suspenditur ad tempus, non in tota tollitur; cujus sensum eruit *Castrensis ad d. l. ita*, ni fallor. Quod ob testem, quem in actu ipso morbus caducus invasit, expectare debeat testator, donec ille redeat; inde probabiliter nos inferimus, quod *Bartolus* & *Castrensis* hanc legem exponant de actu testandi, cui septem testes interesse oporteat; Quorum tamen ut & *Viviani ad d. l.* explicatio auscultanda non est, quod scilicet, coepto jam testandi actu, propter morbo correptum, vel testatorem, vel ipsos testes, ille actus remitti debeat; Etenim nullatenus de quadam testandi actus pausa, sed de testibus testatori non jungendis agitur; Accedit, quod *CL. Sennertus l. 4. de Febris c. 1. infit*: Quod omnis pestis contagiosa sit; neque morbus epidemicus capi potest, quia hic, cum non habeat vim jugulandi; *Idem Dn. Sennertus d. l.* non adeò deterrebit testes, quo minus testatorem adire velint? Neque quod pestili tempore septem exiguntur testes, iniquum est; nonne & hoc iniquum in duobus testibus, quos hic tamen. Quidam admittunt? *Vid. Dn. Carpz. p. 3. C. 4. def. 1. Dn. Fiebig. Disp. 6. ad Exercit. Frantz. Semid. q. 1. Jure Saxon; si testator vel domus ejus infecta lue sit, duo*



duo vel tres adhiberi possunt testes, ut vires voluntas ultima  
habeat: *Constit. Elect. 4. p. 3. ibiq; Dn. Carpz.*

VI.

*Filius familias de bonis adventitiis, quæ pleno jure habet,  
ne quidem permittente patre testari  
potest.*

Ut alia, sic & hoc ex jure patriæ potestatis redundat, ut in  
bonis adventitiis ususfructus patri acquiratur. Quem tamen  
à matre vel aviâ, aliisque in ultimo elogio patri demi posse, ex  
tra omnem controversiam est. *V. l. 7. C. de donis, quæ liberis. N.  
117. c. 1* hinc non malè *Bachov. Tract. de Action. Disp. 8. Corolla-  
rio secundo* dicit, quod bona adventitia alia habeant ordinariam  
naturam, alia extraordinariam. De his extraordinariis adven-  
titiis, filium inter vivos disponere, imò & permisso patris mor-  
tis causâ donare posse, *L. 25. §. fin. D. de mortis causa don.* largi-  
ter conceditur. Sed non hac privatâ patris permissione de iis  
ipsum testari, permittunt leges: Quæ cõmunis est regula, ut dicit  
*Clarus. l. 3. Sen. §. testamentum q. 18. n. 2.* ut ut in hujus Juris in-  
daganda ratione desudetur adhuc; *Claro* placet, quod ita ex  
alieno arbitrio penderet testamentum, quam rationem tamen  
multas pati difficultates fatetur: Dicimus *cum Bachovio d. l. in f*  
quod qualitas filii familiars faciat, ut testari non liceat, & filius  
licet habeat liberam administrationem, non tamen habet jus  
familiæ; cessatq; in his bonis favor militiæ & literarum, quæ ex-  
ceptionem suasere in castrensibus & qs. castrensibus *arg: pr  
7. Quibus non est permissum. Dn. LudWell. Disp. 7. ad 7. th. 4. l. e.*  
Textus huc facit *l. 11. C. Qui testam. fac. poss. & Episcopi & Pres-  
byteri & Diaconi hoc tantum privilegium habent. l. 34. C. de  
Episcop. & Cler. & sequens Auth. Presbyteros N. 123. c. 19. N. 117.  
c. 1. §. 1.* ubi in Græco habetur *διοικεῖν*, quod de dispositione in-  
ter vivos exaudiunt tantum; *vid. ibi Joachimum Stephan. ibique  
Bartolũ n. 6. Hakell. Jll. qq. D. 6. th. 4. Fachin. lib. 5. q. 94. Clarus  
& Bachov. d. l. Riemer dec 6. q. 2. Tilem. Vol. 2. ad π. Disp. 7. th. 13  
Schickard ad. 7. Disp. 7. th. 3. q. 1.* Neq; Saxonum jure aliud san-  
B 3 citum.



citum, dum enim filiusfamilias nondum per quamecunq;, post  
pubertatem, segregationem à re patris, hoc jure emancipatus  
dici potest: *Cōst. Elect. 10. p. 2. ibiq;*, *Möller & Dn. Rosa; & Berlich p. 2.*  
*Concl. 11. n. 23. cum seqq* certè hæc hæsiō in sacris paternis ipsi ad  
† estandum de hisce adventitiis obstabit *Riemer d. l.*

VII.

*Heres vi testamenti, minores septem testes habentis, bona &  
extra territorium sita occupare potest.*

Ne in tam celebri actu quid falsitatis incurrat, septem nu-  
merum testium exoptulavit Lex, ut per ampliores homines  
perfectissima Veritas reveletur. *l. f. C. de Fideic. Constit. Maxim.*  
*in Comit. Trevirensib. & Colon. Anno 1512. tit. Von Testamenten.*  
*§. Und sollen die Notarii. &c.* Quem numerum cum jus civi-  
le induxit *l. 21. in pr. C. de testam.* mutari eundem posse Statuto  
(quod portionem juris civilis agnoscimus. *§. 1. J. de J. N. G. C.*  
*vid. Schurpf. Cent. 1. Consil. 31. n. 9*) cuius facile obvium, *arg. d. l. 21.*  
*§. 1. C. de testam.* Heres verò hic institutus succedere potest in  
bona ubicunque sita, cum consuetudo loci, in quo actus te-  
stamentarius celebratur, quoad solennia, attendatur; uti & fo-  
rum quis sortitur ratione rei. *arg. l. f. C. de præscrip. longi temp.*  
favendumq; testantis arbitrio, quod liberum esse debet, *L. 1. C.*  
*de SS. Eccles. stabileq;* elogium à jam morituro conditum. *l. 19.*  
*C. de testam.* ne paganus pro parte intestatus decedat. *vid. Bar-*  
*tolum ad l. 1. C. de summa Trin.* Extendimusq; hoc etiam ad di-  
spositionem forensis ultimam, distinguentes tamen cum *Bar-*  
*tolo d. l. n. 24. l. m. & n. 37. Lit. i.* inter statatum limitans perso-  
nas civium & indefinitè loquens, juxtaq; hoc membrum fo-  
rensis in loco residens testari potest, etiam de bonis alibi posi-  
tis, cum circa ea, quæ sunt de voluntariâ Jurisdictione, Statu-  
tum complectatur forenses, *arg. l. 1. C. emanc. liber. l. f. D. mil. Te-*  
*stam. Dn. Carpzov. p. 3. Con. 6. def. 12. num. 7. vid. Gail. l. 2. observ. 123.*  
*Tileman. Disp. ad w Vol. 2. Disp. 7. th. 26. vid. & Gravaum. l. 2. Concl.*  
*23. consider. 1.*

VIII.



## VIII.

*Æquum est, matrem per substitutionem filio factam à legitima petitione non excludi!*

Substitutionum, (quæ hæredum sunt surrogationes) inventarum ad impediendum accrescendi, legitimæ successio- nis & caduci in quibusdam casibus jus; vide *l. unic. in pr. § 12. & 13. C. de caducis toll.*) materia non tantum subtilis maximè & utilis (adeò ut Baldus consulendo de ea ultra 15000 ducatorum si- bi acquisiverit, recensente *Schneidev. ad pr. §. de vulg. Subst.* ut in- de ferè concedere posset quis, Jurisperitos affatim bonorum potituros esse, quod tamen malè statui probari q; ex jure dicit *Sutholt Dissert. 11. Coroll. 6.*) & frequens adhuc hodie, ob dictas rationes, v. *Conf. Saxon. tom. 1. p. 2. q. 39.* ibi. *Dieser fall trägt sich oft zu; quâq; nulla frequentior in Judiciis, Facultatibus & Sca- binatibus occurrit dict. Consult.* nullaque per Europam Acade- mia celebris est, quæ à juris Professione hanc insignem mate- riam removit, *Dauth. de Solemni Subs. materia n. 3.* (Quod *We- semb. & b. t. in f.* attinet, capimus ipsum de otiosis subtilitati- bus substitutionum) sed & quàm difficilis & periculosa, præ- sertim in eo casu pupillaris & expressæ & tacitæ substitutionis, ubi matrem & à legitimæ successione repellendam, summâ ra- tione decisum esse jure fori non minùs quàm poli, dicat *Tile- man. Vol. 2. ad tit. Disp. 9. th. 32. & 33. vide Treutl. Vol. 2. Disput. 11. th. 9. lit. c. ibiq; Bachov. hujusq; Discipulum (vid. Dn Fiebig. Disp. 5. ad Ex. Fr. semid. q. 2. num. 1.) Sutholt. Dissert. 8. Aphor. 45. Dn. Frantzk. Ex. 6. q. 7. ibiq; Fiebig.* Sed enim non operam & oleum putamus perditum iri, si inspectâ maximè æquitate & noviori Jure, ex nostro jure eruere argumenta laboremus, quibus ma- tri legitima ubique salva sit; præsertim cum *Conf. Sax. Tom. 1. p. 2. q. 28. num. 8.* asserant, opinionem hanc magis accedere De- calogo, fundariq; in quarto præcepto. Neque diffitemur, aliam ab ea, quæ matrem à legitima in quacunque substitu- tione excludit, esse quæstionem, an legitima debeat in foro animæ? hincq; *Bachovius d. l.* defendit, in foro poli à legiti-  
ma



ma matrem non repellendam, cum substitutio omnis sit juris civilis, (quod divinum & naturæ tollere jus nequit) defendit verò, quod in foro soli ab ea excludenda sit. Manifestum verò est ex jure nostro, quod sine ullo gravamine legitima retinenda sit, sineque morâ exigi queat, *l. 29. l. 30. in pr.* omnisq; dispositio legitimæ moram vel onus introducens, tollenda *l. 32. C. in offic. test.* eaq; sola, repudiatâ hereditate, retineri possit, cum sit debitum & æs alienum. *N. 1. in præs. § f. l. 36. §. 2. C. de inoffic. test. l. 8. §. 15. in f. D. inoff. test. junctâ l. 5. C. de heredit. actio. l. 3. C. imp. & alius substit. Ruemer de 6. qu. 8. Vid. in n. Carpz. 3. 7. 24. 9 nullaq; valet patris dispositio, per quam fraus fit legitimæ. l. 8. l. 6. C. inof. testam. Carpz. 3. 7. 24. 7. S. braderus Tract. Feudali p. 10. Sect. 20. num. 106. nec Statutum valet, quod liberis legitimâ aufert. Dn. Carpz. 3. 23. 18. 4. cum hæc in locû alimentorû sit surrogata. Id. 3. 12. 1. 9. Jam verò quod in legitimâ liberorum constitutum, vim & in parentum habet. Carpz. 3. 1. 21. 10. 3. 11. 8. 7. & quot casus in jure invenire est, ubi neglectâ subtilitate, æquitatem sequimur? Sique Pater de adventitiis exheredato fecisset testamentum. §. 4. *J. de Pup. Subst.* maximè iniquum esset, à legitimâ excludendam matrem, cum hîc Pater de suis bonis planè testatus non est: facitq; huc argumentum *ex l. 9. C. de Imp. & alius Subst.* cumq; juxta *Novell. 115. cap. 4.* liberis non licet matrem vel exheredare, vel præterire, nisi secundum præfatum modum; consequenter nec licebit de hac legitima disponere, nisi modo concessio; & quod volumus, nec pater nomine liberorum disponere de ea poterit; quo ipso haut obstare videtur *l. 8. §. 5. D. de inof. test.* Accedit, quod substitutio pupillaris dicatur testamentum propriè & principaliter filii. §. 1. *J. de pup. Subst. Menoch. l. 4. præsumt. 38. num. 7. qui § n. 14. ait.* Quod hoc Privilegium datum Patri, ut pro filio testari possit, non debet esse ad præjudicium alterius. Hocce æquitatis capite inspecto sanxit quoque *Serenis. Noster. C. 8. p. 3.* ut legitima matri relinquatur, aut si hæc sit præterita, illa, quæcunque etiam fuerit substitutio, dari debeat; *Vid. ibi Dn. Carpzov. def. 3.* Quod verò dicunt, quod nullum hîc sit reme-*



remedium, quo legitimam mater consequi possit, cum l. 8. §. 5. D. de inoff. testam. neget, querelam contra testamentum impuberis; & exheredato abstinenti; pupillo succedat substitutus, solidaq; hæc sit ratio, Quod qui jure suo per querelam evertere nequit, ille nec legitimam consequi possit: Sed ita non habet, cum remedium pro consequendâ legitimâ paratum sit sc. *Conditio ex Auth. Presbyteros, C. de Episc. & Cleric.* (aut actio ex testamento & petitio hæredit. *Grav. cus p. 2. Concl. 120. num. 2.*) neque denegatâ querelâ, petitio legitimæ denegatur, cum hæc & illa non sint connexa. *Menoch. d. l. num. 17. & 18.* ubi & hoc habet, quod fratres & Sorores de inofficioso, turpi institutâ personâ, queri possunt l. 27. C. Inoff. testam. & tamen non habent legitimam ex bonis fratris defuncti: Quod assertum mirum maxime videri poterat, quis enim Interpretum Juris, fratres legitimam non habere, dicit? licet iis cum paucis adhuc res sit, an fratrum legitima sit aucta; ut ita Domitianum esse, querere, an fratres habeant legitimam; quod tamen negat. *Menoch: d. l.* nec à querelâ ad legitimam ductum Argumentum admittit. Quicquid sit de fratribus &c. ratione legitimæ, argumentum à denegatâ querelâ ad negandam legitimam non est perpetuum, vide omnino l. 8. §. 15. D. inoff. Testam. & *Schneid. ad tit. 7. de hered. quæ ab intest. defer. sub ordine primo succedendi Rubri. de Success. filiorum adoptio. n. 15.*

### IX.

#### *Testandi facultas Vasallo interdum concessa est.*

Cum omnis feudi distractio (quæ perniciosissima dicitur pestis 2. F. 52.) & quæcunque alienatio, 2. F. 55. interdicta sit, utique & prohibita erit dispositio testamentaria, quæ & ipsa rerum alienatio est; l. 8. §. 2. C. de secund. nupt. Quod nostrum est, per modum testandi quidem ad alium licet devolvere l. 14. in pr. D. ad L. Falcid. sed feudum à dante ad accipientem transit, heredesq; huius; non verò ad hos ab ipso accipiēte, 2. F. 23. in f. jã id, quod ad alium spectat, sine facto i. e. consensu ejus, ad ali-

C

um,



um, quem nos eligimus, transferri nequit, *arg. l. ii. D. de R. Jur.*  
Accedit quod ita subinfudari non possit, ut invito Seniori  
Vasallus obtrudatur, & agnatis & simultaneè investitis aufe-  
ratur jus quæsitum: Torgaw: Ausschreiben. de anno 1583. Tit. de  
87  
Welcher gestalt die Agnaten &c. § So viel erstlich die Agna-  
ten &c. ibi, daß der Besitzer eines Lehens weder mit ver-  
fauffen noch sonst nichts beständiges fürnehmen könne/  
Das seinen schwerdmagen vnd mitbelehnten / so die anwar-  
tung an solchem Gute haben / an ihren einmahl erlangten  
Rechten zu nachtheil gereichen möge; adeo ut nec jure ad-  
prias causas & animæ salutem relinquit, 2. F. 6. 1. (Ecclesia enim  
cultrix & auctrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid  
fieri in se vel in alterum; 1. F. 13.) nec uni ex filiis assignari possit,  
etiã si dominus consentiat, *arg. 1. F. 8. Dn. Carpz. Disp. F. 5. posit.*  
*16. Hatyserus J. Feud. Analyse cap. 10. §. contra non potest. lit. l. nec*  
*relicti, secundum quosdam, debeat ut æstimatio, §. 4. J. de Le-*  
*gat. (nisi de enixâ testatoris voluntate constet, æstimationem*  
*feudi relinquentis, ad cujus tamen præstationem obstrictus*  
*erit heres allodii, Magnif. Dn. Reusnerus, vñv. Beatus. Meth. Jur. Feud.*  
*Disp. 6. th. 32. § 33.) Id. Dn. Reusner. d. l. à th. 30. Dn. Carpz. d. l. posit.*  
*8. § 9. § Jurisp. Forens. P. 2. c. 48. d. f. 2. Schrader. Tr. Feud. part. 8.*  
*c. 2. à pr. Rosen. hal. Synops. J. Feud. cap. 7. concl. 2. 3. § 4. Clarus lib.*  
*4. Sent. §. feudum. q. 40. Rudinger. Method. J. Feud. lib. 1. cap. 27. n. 18.*  
*Niellius Disp. Feud. 6. th. 4. Godofr. Antonius Disp. Feud. 5. thes. 8. l. a.*  
*Petrus Rebuffus in Feudor. declarat. ubi tamen quatuor tempora Ju-*  
*rium diversorum hinc considerat. Sed n. si feudum sit novum, in-*  
*terventu solius domini consensus, ordinatio hæc indulta est,*  
*arg. c. 1. 2. F. 55. Dn. Reusn. d. l. th. 35. Godofr. Anton. d. l. lit. e. Idemq;*  
*obtinet etiam in feudo antiquo, si testamentum calculo suo*  
*comprobavit idem dominus; & ita quidam capiunt textum*  
*in pr. l. 1. F. 13. quæ tamen alienatio soli domino, præjudicium*  
*verò creare agnatis potis non est, quibus potestas, etiam vivo*  
*testatore, reddito pretio, recuperare Feudum; §. 5. 2. F. 26. Cla-*  
*rus l. 4. Sent. §. feud. q. 42. n. 1. adeo, ut quamvis princeps testa-*  
men-



mentum hoc valere jussit, nihilominus subsistat (nisi ur-  
gentes rationum adsint) *Dn. Carpz. d. l. posit. 13.* Si verò hi ipsi  
consentiant, & quidem conjunctim *c. 1. in f. lib. 1. F. 1. & 2. F. 39.*  
vel disponenti præsentes non contradixerint, tunc omninò re-  
movebuntur *arg. d. §. 5. 2. F. 26.* Aut si hæc ordinatio Statuto  
permittatur vel consuetudine, qualem in regno Franciæ *Re-*  
*buffus d. l. ait esse V. Schrader. d. l. n. 14.*; cum & in ceteris omnibus  
quæ respiciunt feuda, consuetudo vincat legem, *Clarus d. l.*  
*q. 31. num. 12.* Aut feudum sit, quod Vasallo datum & ipsius  
heredibus, & quibus ipse dederit, tum enim etiam sine volun-  
tate domini quoquo modo alienare *2. F. 48.* & transferre lice-  
bit in extraneum, modò habilem ad succedendum in Feudo,  
uti sele ita in quæstione facti consuluisse, dicit *Jacobinus de S.*  
*Georgio Tr. de feudis, verb. & quibuscunque heredibus n. 2. p. m. 73.*  
cum videatur dominus concedendo feudum cum illâ clausu-  
lâ, usque à principio præstirisse consensum cuique alienationi,  
quam de ipso feudo faceret Vasallus. *Clarus d. l. q. 31. num. 8. Ru-*  
*ddinger: d. l. qui n. 2.* hoc quoque habet ex *Claro d. l. n. 11.* quod eo  
casu, ubi egestate aliàs Vasallo pereundum esset, dominus, qui  
jure nõ poterat, *2. F. 9. in pr. Curti: Jun. de Feud. p. 4. q. 16. n. 107. Dn.*  
*Carpz. D. F. 7. posit. 20.* per Superiorem adigi possit, ut aut  
ipse utile dominium acquirat, aut aliena-  
tioni consentiat.







**Μ**ούσαισι φίλῳ, ἀλλ' ἔμοιγε φίλῳ,  
ὧ μοίγε κηρύξτε πεφιλημένον κάρφ,  
ἢ ἄυθις ὀργή σὴ Σεκιλήσκει, ἴθι,  
ἀμβάσ καθέδραν εὐκλεῆ κρηπιωνῶ ποδί.  
Τεῖνδ' ἔγωγε συγχαρεῖς, εὐφημέω,  
Τὸ, σὺν ΘΕῶι ἀγῶνα πάγχυ νικαίαν!

*Eximio Politissimòq; Dn. RESPONDENTI, Jur &  
Human. studiosissimo, amico ac Contubernali  
dilectissimo suo, secundùm publicè disputaturo,  
gratulatur ex animo*

**M. Johannes Sagittarius.**

**I**ngenium magnum produnt certamina magna,  
Ostendunt fortem mille pericla virum.  
Virtutem in multis sectaris Amice; sed ista  
Quæ sunt Justitiæ, nonne decenter agis?  
Hic Rhodus, hinc saltus: comitetur quisquid anhelas,  
Fulcro virtutis presidioq; Dei.

*voluit Domino Matruei suo  
IsthæC aMorIs Lege adponere  
Joachim Ernst Seidell.  
Phil: & LL. Stud.*

35(0)58




WITTENBERG, Diss. 1652

ULB Halle

3

002 716 461




TA 30L


VD 17











18  
1652  
7  
8  
2 1/2

ENÆ,  
stamentariam  
tes,  
ONES;  
IVINO NUMINE,  
CTORUM ORDINE,  
DE  
D **Bergern/**  
U. L. Judiciu Provin-  
tatis Juridicæ PROTO-  
IO,  
vembr.  
CTORum,  
idianis,  
ponit  
**GILIS PASCHA**  
nicus.

\*\*\*\*\*

ERGÆ  
NERI Acad. Typogr.  
OG LH,

